



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 15. Ejusdem Myst. punct. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

COLLOQ. De 2. Vexillis, petendo exploratas habere fraudes mali dæmonis, & gratiam eas vitandi.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XV.

De Apparitione sextâ. Joan 20.

Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium Christo redivivo congau-
dendi.

PRÆL. I. Quomodo Christus ad Discipulos congregatos ingressus sit januis clausis.

PRÆL. II. Videre conclave, quod Christus ingressus est.

PRÆL. III. Petere charitatem, gaudium, & pacem Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus, & recenseamus Discipulos congregatos.

INTEL. Aberat Thomas; sed videntur ex Emmaus accessisse Discipuli duo illi, & in illâ Congregatione participes fuisse claræ apparitionis Christi, quem absentes tantummodò cognoverunt, cum evanesceret ex oculis eorum. REFLECT. Hinc possumus æstimare vocationem nostram ad Congregationem, & Societatem Jesu. Nam in Religioso convictu Christus se suâque Mysteria clariùs communicat, sicut S. Bernardus alicubi describit.

VOL. Agamus gratias pro tanto beneficio, & petamus gratiam perseverantiæ.

B b 5

PUN-

PUNCTUM II. VERBA MEM. Christus dixit eis:
Pax vobis. Joan. 20.

INTEL. Hæc est pax, *quæ exuperat omnem sensum.* Phil. 4. Oritur verò ex charitate. Nam Gal. 5. inter fructus Spiritus Sancti primo loco ponitur *charitas*, deinde sequitur *gaudium*, *pax*. de hac pace dixerat Christus Joan. 14. *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Nam pax mundana non oritur ex charitate Dei; sed ex *carnis sensuum*, *amorisque proprii*, & *mundani rebellionem*. REFL. Examinemus, qualis sit pax nostra.

VOL. Cum singulari affectu dicamus, quod Sacerdotes roties legunt ex 2. Thess. 3. in officio divino: *Dominus autem dirigat corda, & corpora nostra in charitate Dei, & patientiâ Christi.*

PUNCTUM III. OPERA MEM. Christus stetit in medio. Joan. 20.

INTEL. Hoc est, quod dixerat Matth. 18. *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* REFL. Videamus, an nos in nomine Christi, hoc est, in verâ fraternâ charitate congregati simus.

VOL. Cum ingenti desiderio oremus cum Ecclesiâ: *Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos uno pane Cælesti satiasti, tua facias pietate concordēs.*

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. *Cum... fores essent clausæ... venit Jesus.* Joan. 20.

INTEL. Christus in passione sua ligabatur, tenebatur, & abscondente se divinitate, videbatur omnem libertatem amisisse. Nunc exierit se divinitas; & aded liber est, ut nullis parietibus, nullis carceribus possit impediri. REFL. Hoc est donum *penetrabilitatis, sive subtilitatis*, quæ nobis dabitur in Cœlo, si hîc laborum Christi participes fuerimus.

VOL. Reponamus cum Job spem hanc in sinu nostro. *Seminatur Corpus animale, surget Corpus spirituale.* 1. Cor. 15.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Christus *dixit eis: Pax vobis.* Joan. 20.

INTEL. Cogitemus, quantum solatii habuerint Discipuli ex illâ voce, quæ poterat detergere omnem metum Judæorum. REFL. Sic Christus, dum militamus sub ejus vexillo, *consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* 2. Cor. 1.

VOL. Clamemus cum Apostolo Rom. 8. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c.*

COLLOQ. Conformia tertio humilitatis modo.
RECOLLECTIO.